



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 26. Alius in Morguntiae Archiepiscopum electus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

pus enim, etsi ab excommunicationis Sæcul. XV.
 vinculo minime solutus esset, nihilomi- A.C. 1461.
 nus spretis Ecclesiæ censuris, libere di-
 gnitatis suæ officiis fungebatur.

§. XXVI.

*Alius in Moguntia Archiepiscopus
 electus.*

Summus Pontifex cognita Dietheri per-
 tinacia, quemdam ex suis Cubiculariis
 Moguntiam decrevit, qui Canonicos in-
 duceret, ut alium subrogarent Archiepi-
 scopum, qui se Diethero auderet oppo-
 nere; Hi congregato capitulo Adolphum
 eligunt ortum ex antiqua, & nobili Nas-
 faviorum familia, ex qua olim nonnulli
 prodierunt Imperatores. Nihilominus
 facta electione secuta est inter partes
 contentio, brevi tamen, cum Adolphi
 fautores numero superiores essent, actum
 est de concordia, pactis hisce legibus, ut
 Archiepiscopalis dignitas Adolpho, quæ-
 dam vero castella unacum congruis redi-
 tibus ad ejus sustentationem Diethero
 relinquerentur. Verum hæc pax haud
 diu viguit; cum enim Fridericus Comes
 Palatinus novos suscitaret tumultus,
 cruentum æque ac diuturnum bellum
 redintegratum est, donec Anno millesi-
 mo quadringentesimo sexagesimo tertio
 Dietherus assiduis hisce dissensionibus at-
 tritus,

*Serray. l. 2.
 rer. Mogunt.*

Sæcul. XV.
A.C. 1461. tritus, probe cognosceret, quod Fridericus nil aliud quæreret, quam Moguntinæ Ecclesiæ ruinam, quapropter jus suum penitus Adolpho cessit, & obtenta per Pontificis Nuntium absolute, privatam duxit vitam, demum vero Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo secundo obiit. Aliorum Scriptorum testimonio discimus, quod Dietherus, postquam Adolphus Anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto decesserat, a Canonicis denuo in Archiepiscopum fuerit electus, atque sex omnino annos Moguntinam rexerit Ecclesiam, tandem vero in pace vitam finierit.

§. XXVII.

*Legatorum Orientalium accessus
ad Regem Gallicæ.*

Hoc anno in Mense Majo illi Orientalium Legati, quos Papa ad sollicitanda adversus Turcas auxilia in Franciam decreverat, ad Carolum VII. perveniunt, una cum Prælato ex Ordine Minorum, qui se Patriarcham Antiochenum nominabat, & Joannis Presbyteri Orator credebatur. Hi obsequia sua Regi deferunt, eundem Christianissimum vocant, simulque exponunt, a Turcis totam eorum regionem propediem subactum iri, suppe-